

Gottlob Friedrich Seligmann

**Rector Academiae Rostochiensis, Gottlob Fridericus Seligmann/ Metaph. & Phys.  
Profess. ... Ad Exequias ... Dn. Vincentio Friederici, Serenissimorum  
Mecklenburgi Ducum & Ordinum Provincialium Aerarii Praefecto meritissimo a  
Moestissima Vidua hodie paratas Omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum Cives  
Academicos, quo fas est, studio invitat**

Rostochii: Weplingius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn751404713>


Druck Freier  Zugang




Seligmann, G. F.,  
in V. Friederici.

Rostock. 1684.

20







C. D.  
**RECTOR**  
*ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,*  
**GOTTLOB FRIDE-**  
**RICUS Seligmann/**

*Metaph. & Phys. Profess. Templi Cathedral.  
Medic. & apud Lipsienf. adhuc  
Ducalis Collegiatus,*



*Ad*  
**Exeqvias**  
*Prudentissimo Spectatissimoq;*

**DN. VINCEN-**  
**TIO FRIEDERICI,**

*Serenissimorum Mecklenburgi DUCUM &  
Ordinum Provincialium Aerarij Praefecto  
meritissimo*

**â Mœstissimâ VIDUA**

*hodiè paratas*

*Omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum  
CIVES ACADEMICOS, quò fas est,  
studio invitat.*

**ROSTOCHII, Typis JOHANNIS WEPLINGII,**  
*Univerf. Typogr. A. MDCLXXXIV, d. XVIII, April.*



Istius hodiè Vobis, CI-  
VES honoratissimi, VICTO-  
REM PACIFICUM; Virum O-  
ptimum & non absque Luctu  
Nostro his mortalibus ereptum  
terris. Siftimus Eum, ut VICTO-  
RIAM, quâ tot tamque favos  
hostes superavit; PACEM, quam  
per illam beatissimè impetravit,  
contemplati, hanc Exequia-  
rum diem (rectius lucem triumphalem dixerò) frequen-  
tiori decorare præsentia ne dedignemini. Est aliàs tempus  
hocce, in quò vivimus, turbis undiquaque & belli minis  
expositum. Vox omnium una & optima: DA PACEM  
DOMINE HIS DIEBUS NOSTRIS; Da contra hostes  
Christiani Nominis VICTORIAM! Sunt posita ante ocu-  
los Nostros Instrumenta bellica, quibus lamentum triste ad-  
ditum: MISERABILITER! Est in conspectu cornu Copiæ,  
quod lætum ornat gaudij omnis indicium: FELICITER!  
(*vid. Theatr Europ. T. X, f. 490.*) At proh! adpropinquare  
illa, hoc subinde magis ac magis secedere velle, inter suspi-  
ria & fletus advertimus. O utinam triumphalem potius  
expandi arcum videamus inque eò JHOVÆ Nomen scri-  
bicum lemmate; HOC DUCE PACEM! (*vid. h. te-*

VIII

*rum Theatrum Europ. T. VII. f. 290.*) O utinam habeat & hoc  
 annò insignem verè & omnibus deprædicandam encomijs  
 laudem VICTORIA! (*Conf. de laude hæc Theſaur. Inſcr. p. 124.*)  
 His nos precibus diſtinemur, his occupamur votis, dum ad  
 PACIS fauſtas ædes abiit VICTOR, dum VICTORIÆ maxi-  
 mum quodque elogium deportavit PACIFICUS; VIN-  
 CENTIUS FRIDERICI, Deo per vitam omnem addictiſſi-  
 mus. Miram rem refero; Morti ſuccubuit Noſter; dumq; ſuc-  
 cubuit, mortè vicit; Salvatore ſecutus, qui mortem mor-  
 riendo deſtruxit, & ſepultus in ſepulchro peccatis vitã reſur-  
 gendo reparavit; quippe in quò & per què Noſter quoq; Bea-  
 tus ſe Victorem, ut uti vinci videretur, demonſtrare potuit.  
 Bellum aggreſſus eſt ultimum FRIDERICI, quod & omnium  
 Maximum, dumque hoſtis in hanc vitam Noſtram ſavi-  
 entis præda factus eſt, & ab hoc ipſo & ab reliquis omnibus  
 æternum nunc tutus in PACE quieſcit. Quid obſtat, quò  
 minus hanc Exequiarum Diem Triumphalem dicere; quò  
 minus afferere liceat, verè nunc compleviſſe Nominis o-  
 men VINCENTIUM Noſtrum, & VICTOREM evaſiſſe PA-  
 CIFICUM; imò PACIS bono latiſſimè dotatum? Habet  
 mundana PAX, per vota ac precatuſ Noſtros ſi tandem in-  
 ſtauretur, hæc incommoda, ut ſervitutis ſapè pactio (*Conf.*  
*Priol. Hiſt. L. 10. c. 25.*) potius, quàm pax dicenda; ut multis  
 non rarò periculis redimenda ac conſervanda ſit. Expe-  
 rimur hoc in terris de Victoria, ut, ubi faventiſſima interdum  
 eſt, partes noſtras velut deſerat, adverſamque ad partem  
 properet. Nihil iſtorum Noſtri ad cœlites evocari Bea-  
 tiſſimam animam nunc affligere amplius valet, quæ ſupra  
 omne ſtumulus poſita nunquam amittet, quod, ab ipſo pla-  
 cidi diſceſſus momento, poſſidere cœpit. Habet Bec-  
 mannus (*Notit. Dignitat. & Hiſt. Diff. l. c. 1. §. II.*) Monetam  
 quendam, cujus inſcriptio; IHES XPE. NIKA. *Jeſus Chriſtus*  
*vincit;*



*vincit*; unde Galli suum mutuati videntur: *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat*: Quod Aureis suis circa Crucem florecentem inscribere amârunt, eiq; successit, quô hodiernum utuntur: *fit Nomen Domini benedictum*. Sed formulâ istâ Christianos quoque alios usos fuisse, extra rem monetariam, idem observat. Quid? quod de universâ Ecclesiâ veterem Alemannicâ referat, ipsam, præcinentem primum sacerdote tribus vicibus, *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat*; respondere fuisse solitam: *Rex Regum Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat*: *Rex noster Christus vincit, spes nostra Christus vincit* &c. Loquebantur hæc omnia triumphum Salvatoris lætum; indicabant fiduciam in eô positam certitudinemque de victoriâ in Christo cuilibet fidei eventurâ. O sunt hæc hujus diei quoque symbola; quô, non ita pridem elapsô **VINCENTIS & TRIUMPHANTIS JESU Festo**, de **VIRO** quoque Salvatori usque adhærente ac se suamque animam ipsi concedente, **VICTORIAM** nunc & **ÆTERNAM PACEM** pronunciare licet. Sunt, ut desleamus Eum, plurimum Amori subductum, utpote Candoris exemplar; bono etiam publico ereptum, utpote **SERENISSIMORUM PRINCIPUM** Meelenburgi & **ORDINUM** PROVINCIALIUM **Ærarij** Præfectum Prudentissimum spectatissimumque. Sunt, ut lacrimis opponere solatia eô firmiora ac efficaciora possimus. Ceterum, quô innotescat clariùs, quod Bonum in ipso amiserimus exhibere hic vitæ historiam, fide, quâ accepimus, i. e. optimâ, libuit:

*Natus est pie de sanctis Dominus VINCENTIUS FRIDERICI Anno 1635. d. 5ta Maji, ex parentibus optimis. Patre nimirum Viro Spectatissimo atque Integerrimo, Domino LEVINO FRIDERICI, natione Holsato, Zythoptæo ac negotiatore hujus urbis florentissimo; Matre ANNA Gladowen/*

*Feminâ  
sexus*

*sexus sui virtutibus ornatissimâ. Avum paternum laudat vi-*  
*rum Præximium DN. FRIDERICUM LEVESEN, Noord-*  
*strandij in Holsatiâ) Præfectum (Staller / german. vocant)*  
*cujus Parens defuncti nostri Proavus, fuit DN. LEVINUS LE-*  
**VESEN.** *Aviam Paternam habuit CATHARINAM Wens-*  
**sen / Proaviam MARGARETHAM von Leisten.**  
*Avum Maternum coluit Virum Amplissimum atque Consultissi-*  
**mmum DN. VINCENTIUM Gladow / Consulem**  
*bujus Civitatis gravissimum meritissimumque. Avia Ma-*  
*terna fuit Femina in sexus sui ornamentum nata MARGARE-*  
**THA Küsters.** *Proavus Maternus Vir Consultissimus DN.*  
**HENRICUS Gladow / J. U. D. & Senator Rostochi-**  
*ensis gravissimus. Proavia, ELISABETHA von Hervors-*  
**den / Consulis quondam Rostochiensis DN. JOHANNIS**  
**von Hervorden Filia.** *Hisce majoribus ortus piè de-*  
*functus noster est. Quam primum autem natus, sacro baptis-*  
*mi fonte quoque renatus, indeque à Parentibus curatissimè habi-*  
*tus est, primisque literarum rudimentis juxta pietatem in*  
*Schola patriâ imbutus studiorum moderatorem procedente tem-*  
*pore habuit, Rectorem tum Scholæ Rostochiensis Virum Cla-*  
**rissimum D. M. MICHAELEM COBABUM, nunc**  
*S. S. Theologiæ Doct. & Prof. Ordin. & Faculi. Rvnde Seniore*  
*meritissimum, cujus sub auspicio, usque dum annum ingree-*  
*deretur ætatis suæ Decimum Septimum. strenue hic literis in-*  
*vigilavit. Sublato è vivis hoc tempore Dno Parente svasu suo*  
*rum præcipue matris dilectissima Stralsundum studiis bene cœ-*  
*ptis incrementa daturus discessit, ibique informationi CL. Vi-*  
*ri, DN. M. BENEDICTI BAHRII, Rectoris Stralsunden-*  
*sis sese commisit, adversâ autem valetudine nimium pressus,*  
*nondum expleto anni spatio reversus Domum est, quo restituen-*  
*da feliciùs sanitati vacaret. Morbi tandem tenacissimè hæ-*  
*rentis molestiâ liberatus Wisariam concessit Scholæ tum tem-*

poris florentissima famâ allectus, Hinc Luneburgum ad illu-  
strem Scholam Senatoriam se protulit, Johannitanam dictam,  
ubi manu ductione Clarissimi Viri, DNI. M. NICOLAI ZIM-  
MERMANNI, Scholæ illius Rectoris, usus, insignes in studio lin-  
gvarum & artium profectus fecit, ita, ut quatuor fere annis ibi  
dem exactis, discessurus, publicâ oratione de otiosis in Republ.  
non ferendis Anno 1658. elegantis literaturæ specimen dederit,  
hactenus Viri Prudentissimi DNI. HENRICI Döring / Sena-  
tori & Patricij Luneburg. Fautoris magni convictu usus. Re-  
lictis tandem triuijs Anno 1659. Celeberrimam Academiam  
Lipsiensem inuisere placuit, ibique præprimis pependit ab ore  
Clarissimum Philosophi DN. M. JOH. ADAMI SCHER-  
TZERI, post Theologi Primarij Celeberrimique, nunc bea-  
tissimi, Tantoque Duce pæcunte Cursum Eustachianum absol-  
vit. Lipsiâ autem Anno 1661. a suis, ob angustio rem Domi-  
rem, quam ut sustentanda alienis in oris vita Academica suffice-  
ret, revocatus, commodum Wismariam sese coniulit, si quis  
dem abs eruditione & modestiâ suâ commendatus Generoso  
atque Magnifico S. Tribunalis Vice-Presidi Regioque Consilia-  
rio intimo DNO. DAUIDI MEVIO, instituendis liberis ab  
eodem adscitus est, quam spartam cum pro virili, & ad votum  
Mæcenatis sui per quadriennium exornasset, abs Illo, in com-  
pensationem præstita industria, Nobiliss. Statibus Provinciali-  
bus Meklenburgicis prolixè commendatus Secretarij Provinciae  
lis munere exornatus est. Hinc dissonente ita provido Numi-  
ne, matrimonio sibi junxit Anno 1666. die 14. Augusti, virginem  
lectissimam Ornatissimamque, MARGARETHAM, Viri Am-  
plissimi Prudentissimique, DN. ANDREAE WOLFFEN / Senatoris  
Spectatissimi ut & Secretarij Provincialis Meklenb. Praefecti dex-  
terrimè unicam Charissimamque Filiam, ex qua tres benedictione  
divinâ aditus suscepit liberus, primogenitum Andream, Anno  
1667. d. 15. Augusti, Secundumque Patris cognominem, Vincentium


Anno

Anno 1676. d. 1. Decembr. Filiamque unicam ANNAM CA-  
THARINAM, suavissimum Patris, dum viveret, delictum, Anno  
1679. d. 7. Aug. natam, Patrem maturius denatum acerbis-  
simo luctu prosequentes. Secretarij autem provinciæ fidelissimè  
administratæ, A. 1677. Ærario provinciali, quod Rostoch Iest, præ-  
fectus, fidei atq; industriæ singularis, certissima documenta de-  
dit, & ad usq; finem vitæ laudatissimè præfuit. Denatus pie in  
Domino est Anni currentis 13. April. horâ 9. Vespertinâ; & sic  
annos 49. explevit. Causam mortis Nobilissimus atq; Ex-  
perientissimus Dominus Collega Noster, DN. D. JOHAN-  
NES BACMEISTERUS, Medicæ Facult. Senior, Ejus-  
demque & Superior. Mathem. Profess. Celeberr. DN. Fau-  
tor Noster honoratissimus, his brevibus expedivit, quæ ut  
Historia vitæ à Beato Nostro ad extrema usque transactæ de-  
lineata hic extet, addere, pariter ut transmissa sunt, libuit.  
*Vir Candidus DN. VINCENTIUS FRIDERI-  
CI, Amicus meus dilectissimus, nunc eheu! deside-  
ratisimus, per aliquot dies Febre synocho putridâ  
continua laboravit, quam inquietudo, Vigilia, tus-  
sis, Capitis dolor, magnæ anxietates, motus convulsorii  
aliaque gravissima comitabantur Symptomata;*  
*Quibus tum à me tum ab Experientissimo DN. D.  
BARNSTORFIO, Ad fine meo honoratissimo, ge-  
nerosissimis justo tempore quidem obviam itum Medi-  
camentis remediisque, verum omnia frustra tentata.*


Nam ex his mundi bellis ad æternam PACEM ut migraret, Domi-  
no placebat. At ò quantas hæc insperata Mors turbas relicte Do-  
mum intulit! Mæret Maritum mœstissima Vidua, deplorant Patrem,  
orbati hoc Patrocinio suo in primâ ætate, liberi; nec à fletibus absti-  
nerè amici ac Favitores possunt; adeò suo ad PACEM Transitu pa-  
cem in animis multorum non parùm impedijt, qui nulli in vitâ ullò  
impe-

in impedimento, omnibus adjuvamento fuit **B. VINCENTIUS**, Pacificus  
**FRIDERICI N.** O Da pacem, Domine, (hoc nunc votum Nostrum)  
in mœstorum Cordibus; da, ut ipsâ in aduersitate, Te non nisi bona  
ac tranquilla nobis procurare velle, benignius ostendas. Tu ad Te  
vocasti eum, qui Te hic in suam semper subsidium vocavit; ô ne de-  
sere abs ipso desertos; quò & post fata vis precum pro suis ad Te in  
Tui Filii Nomine fusarum feliciter conspiciatur! Tu fecisti diem hunc  
Tristitiæ; fac alios dies solaminis; fac pacati animi otia; id submis-  
se à Te, O Deus optime, contendimus! Video in Thesauri Inscriptioni-  
bus Subaudum quoddam Conclave Pacis Cubiculum nuncupari (*vid.*  
*Inscr. p. 128.*) O exhibeatur nobis Cœli requies **B. VINCENTIO** tan-  
quam in latissimò Pacis Cubiculo concessa, & exhibebuntur procul  
dubio Amplissima erigendorum animorum argumenta! O inserat  
Lugentium pectoribus tristitiam vincendi media, & non tam exequia-  
rum, quam triumpho, hunc diem nobiscum ipsi appellabunt! Ex hi-  
bebit, qui **PRINCEPS PACIS** est; Dabit, qui **VICTOR** hostium o-  
mnium potentissimus. Quod super est, ad Vos, quibus **VICTOREM**  
**PACIFICUM** hanc præscriptione stitimus, nostra redit Oratio, & quâ  
fas est humanitate monet, ut prompti hujus lucis solennibus interesse  
velitis. Mandabitur corpus suo dormitorio, quod absque dubio hanc  
inscriptionem meretur: Hic Cubo & Dormio in pace; nam Domi-  
nus adest mihi, Dominus custodit ossa mea; ut eò fortius tales Vestris  
inprimere animis Meditationes queatis, adeste deportationi & hu-  
mationi Funeris; & quanti Viventem æstimaveritis **VINCENTIUM**  
**FRIDERICI** Vestrâ præsentia demonstrate. Poscit hoc ipsa pietas;  
desiderant mœrentes; petit abs Vobis Nostra intercessio; quam uti  
hactenus, ita & nunc sub finem Rectoratus, non aspernabimini!  
Valet! & in Domino Pacem in ædibus Vestris integram, opto,  
spectate. P. P. d. 18. April. Ann. M DCLXXXIV.  
Sub Sigill. RECTORAT.

*Conveniemus in eade Cathedrali Jacobæa hor. l.*













Anno 1676. d. 1. Decembr. Filiamque unicam A  
 THARINAM, suavissimum Patris, dum viveret, a  
 1679. d. 7. Aug. natam, Patrem maturius dem  
 simo luctu prosequentes. Secretarij autem provin  
 administratâ, A. 1677. Erario provinciali, quod Ro  
 sectus, fidei atq; industria singularis, certissima  
 dit, & ad usq; finem vite laudatissimè presuit. D  
 Domino est Anni currentis 13. April. horâ 9. Vesp  
 annos 49. explevit. Causam mortis Nobilissim  
 perientissimus Dominus Collega Noster, DN.  
 NES BACMEISTERUS, Medicæ Facult. S  
 demque & Superior. Mathem. Profess. Celeb  
 tor Noster honoratissimus, his brevibus expec  
 Historia vitæ à Beato Nostro ad extrema usque  
 lineata hîc extet, addere, pariterut transmissa  
 Vir Candidus DN. VINCENTIUS  
 CI, Amicus meus dilectissimus, nunc eb  
 ratisissimus, per aliquot dies Febre syno  
 continua laboravit, quam inquietudo, l  
 sis, Capitis dolor, magna anxietates, motus  
 aliaque gravissima comitabantur symp  
 Quibus tum à me tum ab Experientissim  
 BARNSTORFIO, Ad fine meo hono  
 nerossimis justo tempore quidem obviarn  
 camentis remediisq; verum omnia frustra  
 Nam ex his mundi bellis ad æternam PACEM ut n  
 no placebat. At ò quantas hæc insperata Mors tur  
 muli intulit! Mœret Maritum mœstissima Vidua, de  
 orbati hoc Patrocinio suo in primâ ætate, liberi; nec  
 nere amici ac Favitores possunt; ad ò Suo ad PACEM  
 cem in animis multorum non parum impedit, qui n

